

06

A

970



4 31  
Cursus Philosophici

DISPUTATIO IIII.

De

PARONYMIS

PROPOSITA

In Alma VVitebergensi Aca-  
demia

PRÆSIDE

Dn. IACOBO MARTINI;

Profess. Log. & Phil. Pract. Publ.

*Respondente*

LEVINO POVCHENIO

Regiomont. Boruss.

*Ad diem 20. Decembris, loco &  
horis consuetis.*



VVITEBERGÆ

Typis Johannis Gormanni, Anno 1615.

VIRIS,  
Arte, Ufu, Felicitate, Excel-  
lentissimo, Clarissimo,

*Dn. GEORGIO LOTHO, PHI-  
losophiae & Medicinae Doctori, Professore Aca-  
demiae, quae in Regio Borussorum monte est, P. Ducum  
Prussiae Archiatro Dignissimo, Promotori & fautori ho-  
norando*

Amplissimis, Prudentia, Autoritate, Ju-  
dicii dexteritate omniq; virtutum genere ornatissimis

*Dn. GEORGIO FRIDERICO BVCHNERO  
Senatorij, Ordinis Reipub. Tilsensis Assessori  
laudatissimo.*

*Dn. JOANNI PRÆTORIO EIVS-  
dem Reipub. Scabino haud postremo.*

*Dn. TOBIÆ MOLLERO, CIVI ET  
Negociatori Cniphovianae Reipub. Primario,  
UT ET*

Antiquâ Generis Profapiâ  
Egregiâ virtutum omnium gratiâ  
Præclarâ Eruditionis Gloriâ.

*Præstantissimo Iuveni-Viro*

*Dn. REINHOLDO VOIGT, MUSARVM  
Cortulo, Amico, Fautori singulari,*

Hosce flores odores Logicos

In sui ulteriorem commendationem mittit.


*Levinus Pouchenius R.*



# Curfus Philosophici

## DISPUTATIO IV.

*Continuatio.*



*Synonyma Logica fuerunt hæc-  
tenus; consequens, ut Paronymo-  
rum quoque naturam paucis vi-  
deamus.*

### THESIS.

I. Paronyma sive denominativa sunt, quæcumq; ab aliquo, ita ut differant casu, nominis appellationem habent.

II. Quam descriptionem ita interpretamur: Denominativa sunt, quæ ab alio sunt derivata, & idem habent initium, diversum verò finem. Id enim est τῆ πῶσει differre.

III. Ubi aliàs initium idem, idemq; finis, non ibi παρώνυ-  
μον, sed ὀμώνυμον est: ut Grammatica mulier dicitur à Gramma-  
ticæ scientiæ: Non autem tam παρώνυμως, quam ὀμώνυμως.

IIII. Cæterum ut definitio adhuc rectius intelligatur accuratè hæc tria in Denominativis observètur: Forma denominans: Res denominata: & ipsum Denominativum.

V. Forma denominans est, à quâ res denominatur: ut nigredo sive Albedo.

VI. Res denominata est, quæ à forma talis vel talis dicitur, & semper quando Termini in Enunciatione κατὰ φύσιν disponuntur subjecti loco ponitur, ut, Homo, Equus, Paries.

VII. *Denominativum* tandem est, Ipsum Ens concretum & forma denominatum, ac semper quādo Termini κατά φύσιν in Enunciatione disponuntur prædicati locum obtinet, nisi cōtingat, ut uterque Terminus sit παρώνυμος: ut *Album*, *nigrum*.

VIII. *Prima* itaque & *Essentialis* παρώνυμων conditio est, ab alio esse derivatam.

XIX. *Alter*, ut id, quod denominat, non sit ipsam quod denominatur, sed sit in ipso, ideoq; illius essentiae aliquid superadditum.

X. Quare ea, quæ denominant in subiecto esse dicuntur, non vero semper per modum inhesionis; Verum etiam per quamvis alium compositionis. Unde non tam subiectum inhesionis, quam prædicationis intelligendam esse videtur l. b. Categ. cap. 5. §. 4. & 13.

XI. *Tertia*: ut attribuat quidem subiecto nomen, sed non definitionem: *ibidem*.

XII. *Pacius* in glossa marginali hanc affectionem veram esse negat his verbis: *Quid si dicamus definitionem albi competere subiecto, & album non esse colorem, sed coloratum disgregans visum? Quod si definitio albi non conveniat, subiectis; Cygnus & nix videntur dici alba ὁμωνύμως.*

XIII. Verum Jurisconsultus non rectè intelligit, quid Aristoteli sit, *attribuere definitionem subiecto*? Sanè nihil aliud, quàm essentiam subiecti explicare definitivè: quod hoc modo nequaquam fit; sed ut nomen denominativè tribuitur subiecto: ita & definitio secundum illud nomen.

XIV. Quare licet corpus propterea quod dicatur *album*, dicatur etiam *coloratum disgregans visum*: non tamen dici potest, definitionem illam esse definitionem corporis: sed potius ut denominativè se habet *album* ad corpus, ita quoque *coloratum* eodem modo.

XV. Quocirca non necesse est, ut ὁμωνύμως de Nive & Cygno dicatur *Album*: cum de utroque dicatur παρώνυμως.

XVI. Nam licet *coloratum* respiciat *album* ut univocum non tamen *album* ita respicit *corpus* : & quia hoc non se habet univocè ad *corpus*, neque illud ita se habebit : sed ut hic respectus est paronymicus ; ita & ille talis erit : cum conne-ctantur univocè adeoq; essentialiter.

XVII. *Quarta & ultima conditio* est, ut prædicetur non in quid ; sed in Quale : ut *Album* qualitatem Cygni, non essen-  
tiam, notat.

XVIII. Per *Quale* autem & *Qualitatem* hic non intelli-  
mus strictè ea, quæ in Qualitatis Categoria continentur :  
sed terminus hic est *τεχνολογικός* & significat prædicatum :  
quod non ingrediatur intrinsicam naturam sive essentiam  
subjecti : Sed extra illam manens, cum eo duntaxat cohæreat,  
afficiatq; more qualitatum.

XIX. Atque hæ sunt quatuor veræ conditiones & pro-  
prietates Paronymorum : quæ ubi reperiuntur, ibi Parony-  
mum esse, certum est.

XX. Si quis adhuc alias fingat aut pingat is harum rerum  
se ignarum prodit. Quia enim Paronymorum doctrina Ari-  
stotelica est ; ex unico & solo Aristotele est eruenda & expli-  
canda.

XXI. Quod igitur Aristotelicum hic non est, id ad Pa-  
ronymia pertinere pernegamus. Dulcius ex ipso fonte bibun-  
tur aquæ. Quare, cum omnes, qui de Paronymis scripse-  
runt, Aristotelici esse volunt, omnes utique ad hanc nor-  
mam & lidium lapidem revocandi & examinandi sunt.

XXII. Cæterum quod Aristoteli est *Denominativum*, id  
Dn. Philippo est *concretum* : quod interpretibus est *forma deno-  
minans*, id Philippo est *Abstractum*. Sic enim se explicat : *Abstra-  
ctum est substantivum ut Grammatici loquuntur, qua nuda species seu for-  
ma, per se considerata, significatur, ut albedo : nec dici potest : Paries est al-  
bedo. Sed concretum est adjectivum, significans subjectum habens for-  
mam, ut Album.*

XXIII. Quia autem Tyronibus Dialecticam suam con-

scripsit Philippus, ejusmodi descriptiones & applicationes adhibere de industria voluit: Quæ in plerisque exemplis locum habent.

XXIII. Hinc 1. *Abstractum* dicitur simplex accidens. 2. *Abstractum* esse Substantivum & *Concretum* adjectivum. 3. Accidens ita in concreto denominari. *Quare*, addit, *hæc appellatione* (nempe concreti) *utitur, cum accidentia tribuantur subjectis.*

XXV. Hoc plerumque & usitatissimè verum est, sed non semper, nempe in exemplis non adeò vulgaribus & tritis. Quandoquidem ipse Philippus in Locis & examine Theologico docet, *Humanitatem* abstractum, & *Hominem* concretum esse in doctrina de persona Christi: & *Humanam naturam* de Deo non in abstracto, sed in concreto prædicari, ideoque non Orthodoxè & verè dici: *Deus est Humanitas*, sed *Deus est homo.*

XXVI. Adde quod multa exempla usitata dari possint, in quibus *Concreta* sunt substantiva: ut *Pater, Mater, Filius, Frater, Soror, Rex & sexcenta alia.*

XXVII. Si igitur concretum *Philippi*, & Paronymum *Aristotelis* sunt idem; & verò Philippus (quæ postea Orthodoxi sunt fecuti) non dubitavit affirmare, *humanam naturam* de DEO in Concreto prædicari; quid absurdi erit, si nos dicamus: *Hominem* de Deo *παρωνυμῶς* affirmari: cum juxta explicationem Theologorum omnia hîc inveniuntur, quæ in denominativis requiruntur.

XXVIII. Primum enim dantur tria illa supra numerata: Forma denominans, *Humanitas*; Res denominata, *Deus*; & tandem ipsum denominativum, *Homo*, qui hic ab *Humanitate* derivatur & dicitur idemq; cum illo initium, diversum vero casum, sive finem habet.

XXIX. Deinde *Humanitas* denominans, non est ipse *Deus*, qui denominatur: sed propterea quia illa Deo personaliter unita est, ac ita reverà inest, *Deus* reverà homo dici & denominari potest.

XXX. Tertio licet prædicando ob illam unionem nomē *Hominis* Deo tribuatur: non tamen per definitionē hominis *Deus* defini-

definitur. Quandoquidem Deus non est animal rationale: sed essentia spiritualis, æterna, omnipotens &c.

XXXI. Tandem respectus Hominis ad Deum in prædicatione hæc (DEUS est homo) non est quidditativus, sed qualitativus.

XXXII. Nam licet arctissima sit unio DEI & hominis in unitate personæ: est nihilominus Homo essentialiter in DEO, & DEUS essentialiter, extra hominem: Hoc est: Homo non est pars essentiæ divinæ, neque DEUS est pars essentiæ humanæ: sed manent in unione ista Naturæ in se omni confusione, vel permutatione distinctissima.

XXXIII. Hæc verò quò melius intelligantur, sciendum. Paronyma ita dici, vel πρώτως & directè, atque illa sunt accidentia concreta: vel δευτέρως & reductivè: quæque non sunt unius generis. Quædam enim reducuntur per analogiam proportionis, quædam per analogiam attributionis.

XXXIV. Illa sunt. I. quando res, quæ species est in dispositione καὶ φύσις; sumitur ὡς φύσις ut prædicabile, ut in hæc prædicatione: Animal est Homo.

XXXV. Nam homo ut animalis subicitur, est ejus species; nõ verò ut prædicatur. Quandoquidem inferiora de superioribus nõ dicuntur, inquit Philosophus, nempe συνωνύμως: sed eo modo sumta secundæ substantiæ, non Quid, sed Quæle significant, lib. categ. c. 5. §. 17. Ut qualis hæc herba? Est ruta: Ergo herba est ruta in quæle.

XXXVI. Et notandum, quod eadem vox sive res, pro diverso respectu & ἕως sumatur modo ut univocum modo ut denominativum. V. G. coloratum respectu Corporis, & ut derivatur à colore, est denominativum: verum non ita respectu Albi: quod hic derivatio non attendatur: sed est univocum.

XXXVII. Sic Homo respectu Petri & Pauli est univocum; respectu DEI est denominativum: Et homo ut est subjectum animalis, univoca ejusdem species est: si verò est prædicatum, denominativum est, & sumitur ut derivatum ab Humanitate sive homineitate sive rationalitate: Quandoquidem tunc Homo duo  
in

extra Deum

sine



includit; nempe subjectum *animal*, & aliquid ei superadditum, nempe *humanitatem*, sive *rationalitatem*: Nam *Homo* dicitur *animal* & *rationalitatem*: non aliter ac *album* dicitur *corpus* ac *albedinem*.

XXXIIX. Deinde ad classem hanc referuntur, quæ ratione vocis neque in principio, neque in fine conveniunt, & nihilominus vera denominativa sunt.

XXXIX. Cum enim hic magis ad derivationem rerum, quam vocum sit respiciendum, illa, quæ secundum rem ipsam à se invicem derivantur, ex denominativorum hoc numero minimè excluduntur, cum derivata significatio maneat eadem. Ejusmodi denominativum est *dormiens*, cujus abstractum & denominans est *somnus*.

XL. Per analogiam proportionis ad paronyma reducuntur prædicata, de rebus divinis loquentia: quæ vel ab analogia attributionis longè recedunt; vel ad eam proximè accedunt.

XLI. Illa sunt, quæ essentiæ divinæ attribuuntur, ut *Omnipotens*, *æternus*, *infiniteus* & similia. Quæ nuda proportionem paronymicam dicuntur: cum quoad formationem vocis quidem talia videantur: quoad rem verò nihil minus sint: quippè quæ essentiæ divinæ nihil superaddunt, sed sunt ipsa essentia divina.

XLII. Posterioris ordinis sunt attributa, partim *personalia*, partim *sacramentalia*. Nam licet in illis quoad vocem denominatio sit obscurior: est nihilominus illa reverà suo modo in rebus ipsis. Siquidem hic non intrinseca & essentialis, sed extrinseca, & non essentialis est attributio: quia unio, quam hæc sequitur, non est talis.

XLIII. Statuimus igitur hoc modo *Hominem* respicere *Deum* in hac prædicatione, *Deus est Homo*, ut demonstravimus: & *corpus panem sanguinemq;* *vinum* in his: *Panis est corpus: vinum est sanguis Christi*. Hæc de Paronymis in genere.

XLIV. Cæterum in specie duo dantur Paronyma: *Proprium* & *Accidens*.

XLV. *Proprium*, τὸ ἰδίον, præterquam, quod interdum definitionem quoq; suo nomine indicat, i. Top. c. 4. quadruplex est, Isag.

Isag. Porph. cap. 5. juxta versum. :

Est 1. Medicus, 2. Bipes, 3. canescens, 4. deniq. risus.

XLVI. Primum igitur soli speciei convenit, sed non omni. Secundum omni speciei accidit, etsi non soli. Tertiū, omni & soli, sed non semper. Quartum, omni, soli & semper.

XLVII. Quartum hoc quia ἀπλῶς & καθ' αὐτὸ ἴδιον appellatur, quartum constituit prædicabile apud Porphyrium, & definitur, quod de una specie & omnibus ejus individuis semper in Quale prædicari potest. 1. Topic. cap. 4.

XLVIII. Prædicari potest dico. Propria enim de aptitudine & facultate intelliguntur, non de actu, quo à speciei individuo facile abest: Ut mutus loquendi quidem facultate est præditus: quam tamen in actum ob impedimentum deducere nequit: quod nihil impedit, quo minus loquendi facultas hominis sit proprium. Vide meas Instit. Log. lib. 1. c. 4.

XLIX. Tandem Accidens τὸ συμβεβηκός est quidem vox multiplex, ut ex lib. 8. Metaph. c. 30. t. 35 patet: sed hic à nobis saltem pro communi & fortuito attributo capitur, & definitur: Prædicabile in quale, quod adesse & abesse potest citra subjecti corruptionem. Isag. cap. 6.

L. Dividitur in duos modos: quoniam Accidens aliud χωρῖς separabile, quod à subjecto suo facile separatur; ut calidum esse ab aqua; Aliud ἀχώριστον, inseparabile, quod à suo subjecto difficulter vel planè non avelli, cogitatione tamen abstrahi, potest.

Corol-



## Corollaria.

1. *Accidens hic non sumitur ut substantia opponitur, sed ut ceteris predicabilibus.*


2. *Predicationes personales in doctrina de persona Christi, dixit Scheckius per accidens personaliter: & probat ad Jacobus Andrea & ceteri Theologi Tubingenses in refutatione orthodoxi consensus c. 6.*


3. *Quo sensu igitur illi propositiones istas dixerunt per accidens personaliter, quid vetet, sacramentales dicere per accidens sacramentaliter?*

4. *An eo modo tollatur, quod communiter haecenus est defensum: Personales illas & Sacramentales praedicationes esse inusitatas. Minimè. Ut enim unio hac in genere unio dici potest: ita quoque generalissimi modi Logici praedicationis illi tribuuntur: Ut verò ad nullam in specie unionem pertinet, vulgarem & usitatem: ita neque specialissimis attributionis modus, qualis est proprium vel improprium, usitatum quoque & inusitatum esse, illi convenit.*

*sed*

*Huma-*





*Humanissimo, Doctissimo,*

**DN. LEVINO POUCHENIO**

REG. BORUSSO, AMICO ET COMMEN-  
SALI, IN DOCTRINA LOGICA DE  
PARONYMIS Respondenti.

**E**rgone tu FIDEI Mysteria queris in ardo  
Hoc LOGICES, cum sint grata vireta DEI?  
Non queris: quae sita colis solertior, atq;  
Illa PARONYMICIS fructibus bis socias.  
Fungis ARISTOTELEM CHRISTO: baud contra-  
rius ulli;

Mystica nam FIDEI sartaq; recta manent.  
Imm. o M-tysian PANIS quis crederet? & quis  
In COENA CHRISTI corpus abesse putet?  
Si doctis quae sint genuina PARONYMA callet  
Quidve in QUALE fiet, dicier hic LOGICIS.  
Singula scrutaris solide: non gratuler? immo  
Gratular, atq; SOPHO-te voco-THEIOLOGUM

Georgius Colbius

Reg. Boruss. f.



Handwritten text, likely a title or header, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a subtitle or author information, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a date or location, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a name or signature, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Large block of handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.


Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.



06 A 970

ULB Halle 3  
004 545 079




56

107







4 (31)

Cursus Philosophici  
DISPUTATIO IIII.

De  
**PARONYMIS**  
PROPOSITA

In Alma VVitebergensi Aca-  
demia

PRÆSIDE  
**Dn. IACOBO MARTINI;**  
Profess. Log. & Phil. Pract. Publ.

*Respondente*  
**LEVINO POVCHENIQ**  
Regiomont. Borufs.

*Ad diem 20. Decembris, loco &  
horis consuetis.*

●●●● ●●●●

VVITEBERGÆ  
Typis Johannis Gormanni, Anno 1615.

